

DECLARATIO LAPIDIS PHYSICI AVICENNÆ filio suo Aboali.



Fili mi Aboali, intellige quod dico tibi de cogitatione lapidis. Fili mi, ubi Philosophi dicunt libris suis Recipe sulphur & auripigmentum non intrat in magisterium nostrum. Sed nominant sulphur & auripigmentum explicat lapidem Philosophorum, in quo lapide sulphur & arsenicum Philosophorum latent sive occultantur. Et quidem Philosophi dicunt, est lapis & non lapis, & est vilis in platea, in viis ejectus pedibus hominum calcatur, & ab uno quo paupere potest acquiri, & est sulphur quod non est sulphur, est auripigmentum quod non est auripigmentum, & est gallinæ, buffo, sanguis humanus, capilli, & non dixerunt alia nomina nisi quod absconderunt magisterium, & scias certo, quod Philosophi non curaverunt de nominibus, uno nomine, una actione scilicet lapidem coquere & in vitam eius inducere. Quia lapis eorum semper unus est, in omnem bonitatem expectant, & non est alius in hoc seculo qui sit de tali potentia & effectu præter hunc lapidem. Hic ergo est lapis & non lapis, sine quo natura nihil operatur, cui nomen est Mercurius vivus multis tamen nominibus Philosophi ipsum nominaverunt, aut nuncupaverunt, quorum non possunt enumerari propter suæ excellentiæ naturam. Hic est verè lapis Philosophorū, & est non alius præter ille qui opus recipit & bibit, ex quo omne corpus apparet. Et pertinet hoc magisteriū nisi Regibus & altioribus & repletiis divitiis, quia hoc magisteriū est sempiternū, & qui non habet divitias quomodo operetur, quia decet operatori habere libram Mercurii puri i. e. arg. vivi non sophisticati ad minus propter humorem illius extrahendū ad perficiendum totū quia totū magisteriū est in vapore. Fili mi, nunc veniunt tibi quotidie & operantur sicut invenerunt in libris super sulphur & arsenicum, & super ☿ per sublimationes, calcinationes corporum perfectorum & imperfectorum, & per resolutiones aquarum diversarum salium & aceti, & per coagulationes & fixationes, & per amalgamationes, & non possunt attingere ad veram perfectionē, & non est mirū, qui ipsi